

A. Gedaente en vpdoeninge vant Landt van Portugal, alſt drie mijlen van v is, en daer beneffens Zeijt.

Sanc tregō. Facies atque apparitio Portugalliae ubi tribus a te abest miliaribus iuxtague eam nauigas.

B. Als dit Smarte houelken oost te zyden van v leijt, soe iſmen open

voer die Riuier van Aueiro. Vbi nigrus monticulus vperarum versus a te. Montego.
situs est, ex diametro es e regione flum aueirani.



F
Spanische mijlen tot 17½ in een gradijn.
Miliaria Hispanica Septendecim cum dimidio confidunt gradum vnu
Duytsche mijlen tot 15 in een gradijn.
Miliaria Germanica quindicim vnum gradum.

DIE WESTER ZEE

Iacobus a Doetecum fecit

LUSITANIAE DESCRIPTIO.

ORAE MARITIMAE BOREALIS

LUSITANIÆ PARTIS, NEMPE AB ALBA, VVL
GO VIANA, IN PROMONTORIV M MONTE.

agum, vulgo Cabo de Montego, exacta descriptio.

Lusitania, de qua in tribus subsequentibus agitur tabulis, est ex maioribus Hispanie regnis: mari adiacet Occiduo, extendens se in longitudine, à Gallacia finibus, in fines Vandaliæ. Proprios semper habuit Reges, his paucis excepris annis, quibus Hispanum subiit iugum. Fuit olim Hispania, cum à Sarracenis occupata esset, in quatuordecim dina regna: quorum Castella terra; Lusitania, mari, præcipua & potentiora sunt. Fuit olim Lusitania Comitatus: at circiter salutis annum 1110. iterum Regum sibi vendicauit titulum. Henricus autem Lusitaniæ Comes, & Lusitanorum Regum Radix, bellicosissimos aduersus Sarracenos fecit actus. Quare Alphonsus sextus, Castella Rex, Tiresiam filiam, notham Henrico uxorem dedit, & Gallacia partem Lusitaniae inclusam, pro dote assignauit. Ex hoc coniugio natus est Alphonsus, qui primus Dux, primusque Lusitaniæ Rex est appellatus. Fuit is ipse qui Oliosponem virtute bellica Sarracenis eripuit, aliorum Christicolarum Principum auxilio fatus. Qui Principes, anno salutis humanae, sedulis monitis D. Bernardi, bellum aduersus Sarracenos ad terram sanctam recuperandam suscepserant, magnoque collecto exercitu Hispanie oras appulerant, quas in salutatis. D. Iacobi reliquijs, qua in Gallacia, noluerunt prætergredi. Rex Alphonsus ob eorum aduentu gaudio perfusus, rogauit eos ut sibi velint auxilio esse ad expugnandam Oliosponem, Sarracenorum receptaculum, qui Christicolas plurimis afficiebant molestijs. Acquiescentes itaque Regi Principes peregrini, Oliosponem mari, Rex vero terrâ, oppugnauerunt, quam vnde premebant, donec ipsam expugnarunt. Est is ipse Alphonsus, qui unico prelio quinque superauit Reges, eiusque facti monumentum quinque scutorum insigne, successoribus Regibus reliquit. Hic Alphonsus matrem captam detinuit, quod post mariti obitum coniugium iterasset, qui nullis monitis, nedum Pontificio interdicto, flecti poterat, ut matrem liberaret. Tandem Deus Opt. Max. matris vindicauit iniuriam, qui Regem in manus hostium Sarracenorum tradidit, apud quos diem clausit extremum, filium Sanctum regni heredem relinquens.

Fuit Ioannes, Decimus Lusitaniæ Rex, notus: ideoque à regni administratione exclusus. Hic ordinem suscipiens militarem, virum magnatum & bellicosum se exhibuit: quarè ad regnum ex hoc statu vocatur, qui egregia facta edidit: & Septensem urbem Sarracenis armata manu eripuit. Successit illi filius natu maior Edoardus, qui Zeliam, Tidem, & Alcazarum, Africanas urbes, expugnat, & Lusitaniæ adiunxit regno.

Anno redempti orbis 1506. Oris est Oliosponi ingens ciuium in Iudeos recenter baptizatos, tumultus: Hi autem occulto Iudeorum ritus obseruabant, & tantummodo ore, non corde, Christianos se ostendebant, quippe qui cum Iudeis Pascha celebrabant, & carnibus vescebatur. Quod animaduertentes Christicola, apud Regem eos accusabant iussuque Regio sedecim in carcere coniuncti, sed post impuniti liberantur. Qua de causa ciues in Regem & Gubernatorem conspirant, seditionem in Iudeos & Pseudochristianos mouent, omnesq; quos habet obuios, tum Neochristianos, tum Iudeos, sexcentos ferè numero, trucidant, & igne comburunt. Hec Iudeorum cades ad pagos est progressa, breui, referuntur intrâ & extra muros occisos fuisse 1930. Quod Rex absens audiens, grauiter indignatus, plurimos in carcere coniecit, quorum alij combusti, alij ingulati, alij in cruce suspensi, reliqui bonis omnibus priuati, in exilium relegati, atque proscripti fuerunt.

Anno salutis humanae 1531. Ianuarij die 26. tota ferè Lusitania terra motu concussa fuit. Oliosponi 1050. corrueunt aedes, & 600. ferè ruinam minitantur. Durauit hic terramotus dies octo, singulis diebus per interualla rediens: ita ut incole septies aut octies interdiu huic periculo fuerint obnoxii. Qui relicta urbe, agros sub dio coacti inhabitarunt.

Miliariis Germanicis ferè tribus ad Austrum Bayonæ, est coenobium in litore. Istinc quidem miliariis Germanicis quinque, fluuius Albæ, vulgo Rio de Limas: ad cuius ostia, insignis est scopulus. Hic vt vitetur, ad Austrum nauigatur, quoad ambo phari, qui Australe occupant litus, mutuo se tegant. Sub his enim notis versus litus nauigari potest, quatuor aut quinque orgyiarū profundo, donec ambæ dominus & turricula, quæ Borealem terræ partem tenent, inuicem tegant. Deinde secundum litus ab Oriente rupis, in qua malus posita, quoad fluuius patet. Tum intronaugatur ad Austrum secundæ rupis, in qua & malus posita: & inde Albam usque, declinando ad Boream, vbi anchora quatuor aut quinque orgyiarum gurgiti credi potest. In ipso ingressu est puluinus, duas altitudinis orgyias cotinens. Miliariis quinque Germanicis ad Austrum Albæ est Villa Comitis, vulgo Villa del Conde; ad cuius portus ostium, multæ rupes, quæ vtrinque circumnauigari possunt: est enim ibi quinque aut sex orgyiarum altitudo. Intrò magis, puluinus est è regione portus, duarum orgyiarum altitudinem sibi vendicans: sed totius portus profundissimum, trium quartu' rœ est orgyiarum: profundius tamen ad Austrum. Portus est maris aestu gaudens, in parte Boreali scopulis & rupibus scatens.

Miliariis tribus ad Austrum Villa Comitis, magnæ sunt eminentes Lesontij rupes, semimiliario ad Boream Dorij fluminis sitæ: qui vtrinque intronaugari potest, & ibi sex septémue orgyiarum profundo anchora immergi: est enim fundus anchoris iacentis aptus. Semimiliario ad Notolibicum anguli occidui iam dictæ rupis, scopulus est latens, siue saxum cæcum. Ponè rupes eminentes prescriptas, portus est Metellinus, maris aestum recipiens, dualque altitudinis orgyias habens. Miliaro uno ad Austrum rupium Lesontij, Dorius fluuius: intrò nauigatur à Borea, relinquuntur rupes omnes ad Boream fluuij partem, ac secundum litus Australe ad Mesocæciām nauigatur, donec supereret rupes, cui crux imposta: & istinc ad ciuitatem, vulgo Port de port, dictam. Introrsum decem duodecimue altitudinis orgyias gaudet; ingressus tamen, tribus tantummodo, ipso medio maris aestu. Potest quoque secundum litus intrò nauigari, vbi summo maris aestu orgyiarum trium altitudo.

A Port de port in Aueirum sunt miliaria octo: terra est secundum litus dunosa. Circà Aueiri ostium, dunæ sunt asperiusculæ, potestque secundum litus nauigari, decem duodecimue orgyiarum profundo. Terram versus in alto est collis niger, cum is tibi est ad Ypeurum, Fluuij Aueiri ingressum attigisti. Cum verò sex septémue orgyiarum consequitus es profundum, mali tres in litoré apparent, quos seruabis iunctos, intrò ad Ypeurum ferè & Vulturnum nauigando, quoad iam dictis malis propinquus factus, litus appuleris. Tum ad Boream declina, & prope Boreale litus nauigando, cuncta ad dexteram relinques vada, quoisque tibi pateat fluuius. Tunc ad Vulturnum rursus nauiga, medio alueo inter vtramque terram in Aueirum. Puluinus in ipso ingressu, medio maris aestu, binas tantummodo altitudinis orgyias habet: quinque verò aut sex, vado superato.

Miliariis Germanicis quinque ad Austrum Aueiri, est promontorium Montegium: & miliaro uno ad Austrum anguli Montegij, portus Pisaga, maris aestum suscipiens. Istinc semimiliario ad Occasum, puluinus est in mari, altitudinem sex orgyiarum habens, sub quo anchora duodecim tredecimue orgyiarum profundo committi potest. Sub Barlingis, quas subsequens continet tabula, potest anchora immergi decem orgyiarum gurgiti, è regione domus Heremitice; vbi fundus est anchoris commodissimus.

Promunt regiones istæ, Vinorum, Arantiarum, Olei & Oliuarum copiam. Auehirus quoque. Aueiro magna optimi Salis quantitas. Sed ciuitas Port de port, præcipuum huius tractus est emprium.

16

COSTA DE PORTUGAL - AVEIRO, VILA DO CONDE, CABO MONTEGO
A. L. J. WAGHENAEER ~ 1590
longitudine us. sextante Ratis & Anomaria 21 1/2 de Anteriori
lat. 3756. pro DM. 2848.53 (inclivitate, nautica)



3756